



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Dominica Passionis. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

De Dominica Passionis. Cap. XII.

IN primis Vesperis etiam si sint de Sancto, reguntur Cruces, & imagines, omittuntur Suffragia, seu communes commemorationes Sanctorum, vt ad Christum hoc tempore sit vnicum refugium nostrum, nec de Pace loquimur, quia representatiue moritur ille, & nondum resurrexit, qui deinde dixit, Pax vobis, Durand. lib. 6. cap. 60.

2 Ad Completorium de Tempore, & ad Horas minores (non autem de Sanctis) in Responsorio Breui; item in omnibus Responsorijs omittitur, *Gloria Patri*, Ordo Romanus; sicut etiam in Inuitatorio, ex Concilio Toler. can. 15. *Gloria Patri*, inquit Concil. in fine Responsoriorum in laetis sequitur, in tristioribus vero repetitur principium: quod ideo fit, vt compagineatur humilitati Christi: omittendo excelsa nostra, eo tempore, quo ipsa Trinitas dehonestatur in persona Christi, ait Alcuinus,

3 In Psalmis tamen nondum tacetur, *Gloria Patri*, quia Psalmi, vt diximus supra, significant opera, & nondum Iudaei operibus, sed linguis tantum, de nece Christi agunt. in triduo vero maioris Hebdomadae remouetur a Psalmis; quia opere compleuerunt Iudaei necem Christi. Hec Durand. lib. 6. cap. 60.

4 Hieremias legitur, vt in Ordin. Rom. & ex decreto Gelassij, ob causam allatam supra Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 67. De Hymnis diximus eadem Sect. cap. 6.

5 In Fer. 2. sequenti habemus eadem Capitula, quae indicat Durand. cap. 61.

6 In Fer. 5. Antiphonae, ad, *Benedictus*, & *Magnificat*, contra morem praecedentium Feriarum, discordant ab Euangelio Feriae. Quare? tum quia de Passione sunt, congruentissima tempori; tum quia meminisse debes, Feriam hanc non habuisse propriam Euangelium ante tempora Gregorij Secundi, vt dixi cap. preced. num. 9. & licet in alijs praecedentibus Ferijs quintis, addito Euangelio, addita quoque sint, remotis alijs, concordantes Antiphonae; tamen in hac vltima

Feria quinta, addito Euangelio, non sunt mutatae priores Antiphonae; vt antiqui ritus vestigium aliquod remaneret in hanc vsque diem.

7 In Sabbato Palmarum Euangelium legitur, quod historicè coniugit pridie Dominicae Palmarum nam ibi dicitur: *In crastinum autem*, &c. qua de re scribit Durand. lib. 6. cap. 66. quod quaedam Ecclesiae hoc idem Euangelium legebant hac die, non omnes. nam aliae, ex Rupert. lib. 5. c. 6. & eodem Durand. ibid. legebant in Sabbato: *Ante sex dies Pasche*; & in Fer. 2. Palmarum, *Cogitauerunt, vt Lazarum interficerent*. quem ritum nostrum, quis non videat aptiorem esse ad mysteria, quae celebramus; & conformior est Breui. & Missalibus M. S. antiquis, & prelo etiam datis, ante Annum 1550.

8 Queritur: An in concursu Festi nouem lectionum cum Dominica Passionis, seu Palmarum, in Responsorio breui Completorii omittendus sit versus: *Gloria Patri*? Et quidem certum est, quod in concursu Festi duplicis non omittitur, ratione cuius Completorium est festiuum, in quo ideo non dicuntur preces, controuersia est de Festo Semiduplici: de quo tamen diximus Sect. 5. cap. 14. nu. 2. quod in secundis Vesp. Dom. Passionis, inchoato festo per commemorationem semiduplicis, ea, quae sequuntur, festiuam censentur. At in primis Vesperis Dom. Passionis, seu Palmarum, Completorium sequens habet magis de ratione Dominicae iam inchoatae in Vesperis, quam de ratione festi iam finiti; & ideo debet omitti versus, *Gloria Patri*. Neque obstant ea, quae in ferè simili casu diximus Sect. 5. c. 6. n. 15. quia aliud est mutare formam glorificationis Trinitatis in fine Hymni Completorii, quae in re nihil deperit officio Dominicae, quod eiusdem sit proprium; Aliud est omittere glorificationem eandem in Responsorio breui, quod est de proprio ritu Dominicae Passionis.

De Dominica Palmarum, & Hebdomada maiore. Cap. XIII.

Euangelium Palmarum cum Homilia in officio legi scribit Micr. c. 52. reli-